

30 *Elementa Arithmetica*
 rent; quod tamen fieri debet cum sit $a \div a = 1$. Ergo $a \times n = na$.

P R O B L E M A IV.

Quantitates litterales dividere.

IV. Signum divisionis est lineola interposita, dividendum separans a di-

visore, ita $\frac{a}{b}$, designat a dividi per b ; divi-

sio etiam designatur interpositis binis punctis hoc modo $a : b$. Verum his signis utendum est duntaxat, si divisio accurate fieri non possit; quod primum illustrabimus exemplo quantitatum, quæ unico constant termino. Si proponatur dividenda quantitas

$a^2 bc$ per $a^2 c$, erit $\frac{a^2 bc}{a^2 c} = b$, ac proinde quotus erit b . Simili ratione $\frac{10a^2 b}{6a^2 c} = \frac{10b}{6c}$. In hoc sita

est tota divisionis operatio ut ex dividendo & divisore expungantur litteræ utrique communes, reliquæ autem pro quotu habeantur. Si autem quantitates litterales coefficientibus afficiantur, evidens est divisionem institui debere non secus ac in arithmetica vulgari. Porro licet in dividendo & divisore deleantur litteræ communes, non tamen putandum est quotum ex quantitate

per seipsam divisa esse $= 0$, ita $\frac{abc}{abc}$ non est